

10. Cùm Philosophiæ principium incomplexum sit ratio, quemadmodum Theologiæ revelatio divina, omnia Philosophiæ erunt subiecta, quæ ex ratione possunt cognosci.

## II. De Matheos naturâ.

11. Matheos qui Philosophiæ partem negant, sibi magis quàm aliis contradicunt.
12. Matheos non circa accidentia sola versatur, sed & circa ipsas substantias.
13. Matheos tantùm non sola contra Scepticismum pugnat, à Scepticismò autem penitus abhorret.
14. Demonstrationes Mathematicæ perficiuntur principiis complexis.
15. Subiectum Demonstrationis Mathematicæ semper est ens complexum.
16. Apud Mathematicos vix invenitur demonstratio, quæ unò syllogismò simplici absolvitur.
17. Disciplinæ Mathematicæ completæ tres in se complectuntur habitus intellectuales, Intelligentiam, Scientiam, & Arté, plerumque tamen à mediò tanquam principaliore Scientiæ dicuntur.
18. In Matheos & analytica & synthetica methodus locum habet; illa tamen ad disciplinas integras tradendas prorsus inepta est.
19. Etsi quis omnes ac singulas teneat definitiones in universâ Matheos contentas, simulque ea, quæ ipsi Mathematici in notis sive scholiis adjungunt, imò licet utraque elegantissimè & cum summâ adstantium admiratione atque applausu publicè possit defendere, ipsum tamen adhuc parum Mathematicum scire dixeris, si propositionum fuerit ignarus.
20. Tantum abest, ut Matheos non sit de pane lucrando, ut singulæ ejus disciplinæ singulos, imò plures, sui alant cultores.

## III. Metaphysicæ.

21. Metaphysica Scholasticorum nuda est intelligentia, Aristotelis verò Metaphysica scientiæ nomen ab analytica participat.
22. Rectè statuitur ens accuratè loquendo illud esse tantùm, quod actu est in rerum naturâ, dubitamus tamen, an hoc rectè statuat Metaphysices objectum.